

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Obermüller, Karl Friedrich]: De excolendis animi facultatibus ad maiorem
veritatis lucem assequendam loquutus est, 16 Apr 1748

[urn:nbn:de:bsz:31-99849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99849)

De excolendis animi facultatibus

Ad maiorem
veritatis lucem assequendam
loquutus est.

Carolus Fridericus Obermüller

d. XVI. Apr. MDCCXXXVIII.

19. 88

nomine
nomine
ria fap
ita et
uis p
le con
filia
rario
fucab
fed
nt. d
hum
et qui
vicut
sua fac
uit. O
laber
pni p
ibus de
ui aut
rapof
que ill

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, possibly Latin or German, covering the majority of the page.]

[Faint handwriting visible on the right edge of the page, including words like:]
 Dign
 con
 arita
 allent
 malia
 maion
 Jempe
 melio
 ree
 hom
 ne
 mile
 hom
 ipi
 tam
 Fru
 nun

Director excellentissime!
Socii ornatisimi!

Dignum profecto homine humanaque natura tam
conveniens studium perfectiorem sese reddendi. Jam in eo
cernitur humana natura praeter ceterorum animantium ex-
cellentia, ex hoc iam intelligi potest, reliquorum ani-
malium animas rationis esse expeles, quod nunquam
maiorem perfectionis gradum in illis animadvertimus;
semper eodem modo opera sua perficiunt, nunquam
meliora reddunt, homo contra quotidie novam acqui-
rere potest perfectionem. Quid itaque aliud esset, si
homo facultate hac non uteretur, si de perfectio-
ne sua nil curaret, quid aliud quam bestias sese si-
milem aut potius adhuc inferiorem reddere. Colat
homo omnes facultates, omnes vires, quas natura
ipsi largitus est. Utatur viribus corporis, quibus
tam praecclare praeter ceteris animantibus excellet.
Fruatur iis ad finem, ad quem datae sunt. Sed
nunquam animo nostro excidat, multo excellentiores

esse animi nostri facultates, & ideo maiori studio colendas. Haec demum sunt, quibus vero reliquis animantibus praestat homo. Hic animum habet ratione praeditum, illa animam quidem sed rationis expertem. Quas igitur animi facultates summo studio summa diligentia excolamus & perfectiores reddere omnibus evitamus viribus. Ut veritatem cognoscamus, veritatem magis magisque investigemus, ad eam finem ratione a summo numine donati sumus. Omnes animi nostri facultates, quae tam varia sunt, ad quid aliud largita, nisi ad cognoscendam veritatem? Tunc itaque vere excolimus animi vires, quam hunc ad finem eis utimur, quam veritatem magis magisque persequimur, & omnia veritatis luci contraria repellere & vincere studemus. Non semper enim tam clara, tam perspicua atque ante oculos posita est veritas, ut sine ullo labore statim cognoscere eam possit. Altius sine non raro latet, nec sine magno labore excutienda. Saepe etiam ab hominibus ipsis, vix dicere audeo, nisi quotidiana doceret experientia, ab eis ipsis, qui exquirere ac promovere veritatem omnibus viribus debent, non modo non creditur nec assumitur, sed etiam crudelissime persequitur. Hoc tunc rationis opus est, evellere veritatem, purgare a fictis falsisque incrementis, revocare impedimenta eis opposita.

De hac materia, pro facultate quam mihi Director gravissimae Societatis honoratissimi fecistis, plura disserere statui,

scilicet: De excolendis animi facultatibus ad maiorem veritatis lucem assequendam. Sub hoc thomate intelligo id quod Ger-
manorum vocabuloprehenditur. *Aufklärung*. Longe absit a
me arrogantia ista, tanquam totam hanc materiam exhaustur
re posse auderem. Copiosam esse & diffusam, quin totum librum
capiat, non ignoro. Tantummodo quaedam non indigna mihi, vix
ulteriore expositione pro viribus meis tractabo, & primum no-
tionem rei exponere experiar, deinde quomodo abusi sunt hac
voce homines colendam, postremo utilitatem & fructum pro-
venientem paucis recitabo.

Non parum profecto exquirenda veritati nocet, quod plurimi
homines multis vocabulis & nominibus utantur, antequam rei ve-
ram notionem sibi acquirunt. Quot vocabula in multorum ad-
huc ore sunt, quorum si quasieris explicationem, vel nullam
plane vel falsam accipias. Eiusmodi quoque est vocabulum,
de quo in oratione hac verba faciam. Ante omnia itaque
describere conabor, quis sit verus populi cultus, quando dici
possit homo cultior. Quam ob rem originem vocis repetam.
Caelum dicimus serenius fieri, cum nubes ac nebulae splen-
didam solis lucem retinentes cumque vim suam exorcere im-
pedientes, disturbatae sunt. Non dubito hanc vocem a na-
tura sumtam morali quoque sensu dictam esse. Nec est

quod hoc assumere nos deterreat. Mira similitudo physica & moralis, coeli & hominis claritatis. Intellectui nostro nubes obductae, quas si disseceris, omnia patefacta tibi, intellectus tunc omnia perspicere potest (quantum contingit enti finito.) Tunc nomine dignus est hominis cultioris, hominis plene ore ingenii luce donati. Verum quidem est, quod nemo mortalium in hac vita omnes intellectam ac rationem obumbrantes nubes plane disturpare queat. Hoc est tantum supremo numini proprium, excellentissimo intellectui, qui nunquam nubibus potest obumbrari, qui omnia simul plenissima luce perspicit, cui nil latet. Nos vero per finitum ac coarctatum nostrum intellectum multa omnino non, multa vero non clare satis & distincte perspicimus. Quamvis vero non omnes plane disicere possumus nubes intellectui oppositas plenamque intelligentiam impediens, tamen quam plurimas disturpare operam dabimus, & quamquam summam ac perfectissimam intellectus lucem ~~in~~ non adipisci possumus, studebimus ut quotidie clariorum adipiscamur. Quanam vero sunt

ista res intellectum ita occoecantes ut nubes solem? Qua impe-
 diant ut non omnia ratione nostra possimus perspicere? Præci-
 pua omnium & que ut opinor omnium reliquarum origo, sunt
 falsa præiudicia, que non singulos tantum homines, verum
 universas gentes ita obumbrant, ut veritatem perspicere ne-
 queant. Qui itaque inveterata præiudicia evellere nullis
 molestiis, nullo labore nullis persecutionibus impediri
 potest, is demum cultioris hominis nomine dignus est.
 Et quo minus homo seu populus aliquis præiudiciis fal-
 sis regitur eo cultiores habentur. Ita hac re descip-
 ta non fieri posse existimarem, quod res publico bo-
 no tam salutaris non modo non pro merito estime-
 tur, sed contra maximis execrationibus ac contumeliis
 afficiatur. Profecto hanc rationis cultionem nemo,
 qui rationem tam divinam naturæ humana donum
 reverentia aliqua honorat, qui non brutis se inferio-
 rem reddere vult, non modo non odio prosequetur, sed
 contra sumis laudibus efforet. Illa vero sic dicta ho-
 minum cultio quam omni iure omnes probi ac sapi-
 entes abiciant ac spernant, minime vera ista est de

qua nos loquimur, sed falsa ex abusu vocis orta. Nihil
 pene in natura, ne sanctissima quidem ac dignissima
 res, institutiones maxime salutares, unquam vitare po-
 tuerant, ne iis abuterentur homines, ne ad mala & praeca
 adhibeantur. Religio, praeclarum istud est excelsum
 donum quantis corruptionibus & abusionibus omni tem-
 pore obnoxia fuit! Quid mirum quod et cultu hominis ab-
 uti hominis cernamus? Non alienum esse arbitror, cum
 extenderim, quomodo haec vox in malam partem sumatur
 & quid intersit intersit inter eum qui vere est cultior, &
 eum qui falso hoc nomine a multis appellatur. Qui
 multis impedimentis, neque persecutione, nec contumelia
 non laborum non molestiarum mole deterrenti erant, pari
 animo et intelligentia veritatem quamvis altissime ab-
 seondita, rebus falsissimis mixtam & prauidiciis undiq;
 circumseptam coellere, omnibus prauidiciis purgare, hi
 a probis & bene de aliis sentientibus nomine eorum
 insigniti, qui clariore & cultiore ingenii ac rationis
 luce gaudeant, & aliis tanquam exemplaria publica
 ad imitandum propositi sunt. Multi sapientes ac boni

viri publice, hominum, salutis promovendæ studio stimulatæ
 præclara exempla imitati sunt. Alii vero ambitione aut
 aliâ prava cupiditate incitati eodem nomen acquirere volu-
 erunt, quod cum veris meritis non assequi posse se intelli-
 gerent alia quamvis nequissima ratione adipsi molie-
 bantur. Sine iudicio veritatisque ac publicæ salutis studio
 tanquam rapido fervore omnia aggressi sunt, quæ anti-
 quitatis tulerunt speciem, incuri, an vera falsane essent.
 Dignissimas sanctissimasque religionis & rationis veritates illu-
 derunt, eosque qui adhuc iis adharerebant contumeliis affectos
 despexerunt. Mox ut qualiscunq; doctrina præsertim no-
 va factoribus nunquam eget, ita & hæc non desuerunt,
 qui omnibus eam viribus defendebant & promovebant. Hi
 profecerunt ut nunc multi hominum cultum temporum
 nostrorum tanto odio prosequerentur. Sed hunc verum esse
 cultum minime censebimus. Illum cultiorem hominem
 nominamus, qui veritates falsis præiudiciis liberat, non
 eam qui luculentissimas veritates tanquam præiudicia
 spernit ac illudit. Quæ de re cavendum est, et in hoc
 vitium multi incidunt, ne in omnem hominum cultum

infultemus, cum tantum falsum abicere volumus.

Sane verum illam humani ingenii cultum, quem in prima parte descripsi, nemo erit, quin maxima laude dignum inueniet; liceat itaque mihi paucis adhuc comoda ex illo fluentia delineare. De utilitate eius statim persuasi erimus, cum tolerantiam, liceat mihi hoc verbo uti, ac libertatem cogitandi arctissime cum ipso coniunctas esse perpenderit. Quas ad omnes ordines hominum, ad omnes scientias haud parum pertinere videbitis. Ab religione incipiam. Possem multorum quidem populorum exemplo id quod dixi probare. Sed unico, quod & nobis maxima cura sit, contenti eritis. Comparata patrum nostrorum a principio usque ad nos, cum nostra Deorum colorum ratione, nostra statim praestantiam intelliges. Quamvis multa praestet eorum religio, religione ceterorum gentium nondum vere religionis luce donatarum, quamvis natura multo convenientior erat, tamen in multis ad eam pertinentibus rebus omnem rationem, omne iudicium suppresserunt, ad ea facienda comovebantur, qua alias maxima ignominia dignum habebant. Christiana religionis luce illis denique elucente, aliud, nescio an adhuc in-

tolerabilius iugum suscipere coacti sunt. Religio nova, max
 innumeris abusionibus depravata, nec licebat cuiquam con
 tra eos pugnare, nisi crudelissimas persecutiones ac exco
 municaciones pati vellet. Ordo ecclesiasticus, cuius of
 ficiam erat, magis ultionem populi promovere, turpissimi
 lucri causa magis adhuc omnium animos tenebris obducere
 studebat, & multa aptissima ingenia erigere ac reicere errores
 molientia durissimis persecutionibus suppressit. Adhuc etiam
 nostri tempore ubi tanta huic ordini potestas, eiusmodi
 persecutiones quotidie spectantur. In maxima vero Ger
 mania nostra parte alia plane rerum facies. Toleran
 tur omnes de religione opiniones. Quilibet licet cogi
 tationes suas de maximis dogmatibus publice proferre.
 Iis quibus cura religionis tradita omni studio nituntur
 ut ingenia eorum quibus praefecti sunt quo magis excolan
 tur & inveterata praedudicia eradicentur. Non ut ante
 coecam fidem verborum suorum volunt, sed rationibus
 & propositis fructibus religioni pectora aperire student.
 Quis, collato hoc, cum inculto statu illo, cuius excellentiam
 intelliget. Quod vero scientia & literae plurimum debeant

cultui temporum nostrorum iam ex eo patet, quia pra-
 fertim in hoc saeculo omnes scientia miro modo promota
 atque propagata sint. Nec difficile est rationem
 videre, in pristinis si quis temporibus novum aliquid in
 scientia quadam invenit, maxima sollicitudine pro-
 spicere debet, ne contra solitas hominum opiniones
 scribat. Et si quodammodo episcopo romano & colle-
 gio eius salutis suae & lucro contrarium invenerunt
 librum, legi illum prohibuerunt. Ex multorum exem-
 plis unicum illud Galilaei adferam de scientiis tam
 meriti hominis, qui propter doctrinam suam de ma-
 culis solis & de motione terrae nostrae circum solem
 a iudicio inquisitionis, postquam iurare coactus erat,
 se nec crediturum nec docturam esse id quod scripserit,
 scriptis quoque eius deperessis relegatus est. Nunc vero
 multo alias, exhortantur potius laude ac premiis
 excellentissima ingenia, ut praclaris operibus quotidie
 maiorem lucem in omnium hominum animis spargant.
 Tolerantiam vero maxima reipublica magnam afferre utili-
 tatem quid multis verbis eloquar. Quantam ~~Exdelitat~~ iacturam

fecit Gallia regnum crudeli illa hominum, nostram religionem con-
 fitentium, expulsionem & interfectionem. Illi fuerunt homines la-
 boriosissimi, precipuas artes ac negotia exercentes. Quanta attule-
 runt comoda iis regnis, qua recuperant eos, quod clarissime in Bo-
 rufico regno cerni licet. In summa, omnia regna, in quibus omnium
 generum homines (tantum boni sint) tolerantur, multa in omnes
 florentiora, quam ea in quibus non tolerantur. Et quales deniq;
 in omnes mores hominum in regno ubi laude dignam habetur
 hominem aliter sentientem ac agentem, quam maxima populi
 pars, persequi imo etiam occidere? Quomodo hic comanis om-
 nium hominum amor, tam praecleara ac divina virtus locum
 habere potest? In iis vero regionibus, in quibus omnes probi paci-
 lenitate afficiuntur, ubi a prima paupertate sumum numerum,
 tanquam omnium hominum utilissimos ac benignissimos om-
 nium hominum Deus docetur, non aliter fieri potest, quin
 omnes incolae sese invicem fraterna amore amplectantur
 & comanem utilitatem omnibus viribus promovere contem-
 dant. Ita cultus temporum nostrorum per divinum praeceptum
 eius tolerantiam puriores reddit de Deo ceterisque de
 rebus in religione tractandis notiones, maiorem in omnes

scientiarum ac literarum partes diffudit lucem, usque est rei
 publica & leniores reddit ac placidiores hominum mores.
 Utinam in iis regionibus ubi adhuc, o quam turpe hu-
 manitati, quam turpe temporibus nostris ubi & adhuc
 religionis causa nulla millia persequuntur, & imprimis
 ubi illud scelestè sicq̃ dictum iudicium inquisitionis ad-
 huc exercetur, semel quoq̃ tolerantia benignissimum
 donum diffulgaretur, & intelligerent homines, hominem
 persequi, non odio & inimicitia, sed amore & benevolen-
 tia, hoc demum homini dignum esse.